

/ Admodum Reverende Pater,

Legi attente nec sine voluptate praefationem Fastorum, percur-  
ri coetera quae libello continentur. Probarem consilium tuum per  
omnia, nisi duo me terrerent, immensitas operis, quae tempus prope  
5 infinitum requirat, et magnitudo sumptuum, qui in tanto opere coe-  
mendo faciendi erunt. Addo etiam alia duo: unum, ne forte in ori-  
ginalibus historiis multa sint inepta, levia, improbabilia, quae  
risum potius quam aedificationem pariant; haec enim causa fuit,  
quae Surium coegit multa detrahare vel mutare. Alterum, quia titu-  
10 li trium primorum tomorum polliceri videntur non tam historias quam  
sermones sive homilias, atque hoc est quod in Lipomano et Surio  
multi reprehendunt, quod homilias plurimas sive orationes laudato-  
rias admiscuerint historiis de vita et rebus gestis sanctorum.

Ego igitur, si quid sentiam audire cupias, maxime laudarem eum,  
15 qui non actum ageret, sed eas tantum historias ederet quae Lipo-  
mani vel Surii diligentiam effugissent, neque improbarem si quis  
emitteret in lucem integras et originales historias, quarum compen-  
dia stilo mutato Surius edidit, modo id cum delectu et prudenter  
fieret. Habes consilium meum, quod tamen aliorum iudicio melius  
20 sentientium ac tuo praesertim subiiciam. Interim pro munusculo, quo  
me donare voluisti, ingentes gratias ago. Vale mei memor in sanctis  
precibus tuis. Romae, die 7 Martii 1608.

R.T.

frater in Christo

25 Robertus Card. Bellarminus.

P. Heribertus Rosweyde sacerdos Societatis Iesu. Antverpiae.

---

d'après l'orig. Museum Bolland.